

Disputatio inauguralis medica de sedimentis urinarum ... / [Konrad Friedrich Kühne].

Contributors

Kühne, Konrad Friedrich.
Goelicke, Andreas Ottomar, 1670 or 1671-1744.
Universität Frankfurt an der Oder.

Publication/Creation

Francofurti cis Viadrum : Typis Tobiae Schwartz, [1727]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/dhd3trge>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
SEDIMENTIS
URINARUM,

FAVENTE DEO ^{QUAM} OPTIMO MAXIMO
 IN REGIA VIADRINA
 GRATIOSO FACULTATIS MEDICAE
^{CONSENSU}

Sub PRAESIDIO
 DN. ANDREAE OTTOMARI
GOELICKE,

MED. DOCT. ET PROF. PUBLICI, h. t.
 FACULTATIS MEDICAE DECANI
 Et Circuli Lebusiensis Physici Ordinarii
 N. PROMOTORIS AC PRAECEPTORIS SUI OMNI HONORIS
^{CULTU AETATEM PROSEQUENDI}

PRO LICENTIA
 SUMMOS IN MEDICINA HONORES, INSIGNIA AC
 PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE AC LEGITIME
^{CAPESSENDI}

Die 3. Octobris MDCC XXVII.

Horis ante & pomeridianis
 IN AUDITORIO MAJORI
 Placido ac publico Eruditorum Examini submittit

CONRAD. FRIDERICUS KÜHNE
 Servesta-Anhaltinus.

Francfurti cis Viadrum, Typis TOBLÆ Schwarzb.


СИДИЧЕВА СОЛНЦЕВАЯ КНИГА

EXCELLENTISSIMO ET EXPERTISSIMO
DOMINO
ON. CONRADO
PHILIPPO
LIMMERO,
ED. DOCTORI EJUSDEMQUE UT ET MA-
THESEOS AC PHILOSOPHIAE NATURALIS IN
LYCEO, QUOD EST SERVESTAE ANHALTINO-
RUM, PROFESSORI CELEBERRIMO
NEC NON
CONSULI PRIMARIO GRAVISSIMO
ET POLIATRO VIGILANTISSIMO
PATRONO SUO OMNI HONORIS
ET OBSERVANTIAE CULTU AETATEM
PROSEQUENDO.

UT ET
V I R O
EXPERTISSIMO ATQVE CLARISSIM
D O M I N O
C A S P . E R N E S T C
K Ü H N E,
M E D I C I N A E D O C T O R I A C P R A C T I C
F A M I G E R A T I S S I M O
P A R E N T I S U O O M N I F I L I A L I
O B S E Q U I O A D C I N E R E S U S Q U E
C O L E N D O

Hanc suam Dissertationem
Inauguralem
sacram facit

Conradus Fridericus Kühn
Author.



PROOEMIUM.

Anter varia opprobria, quibus artem salutarem contemerare solent pervicaces ejus contemtores, illud certe non postremum occupat locum, quod cuidam quasi *haruspicinae* eandem assimilare non vereantur, occasione sine dubio desumpta ab illa medentium consuetudine, qua variis in affectibus lotium aegrotantium inspicere atque pro varia ejus conditione varia quoque de eorumdem statu judicia ferre confieverunt: Unde totam artem odioso *uroscopiae* nomine & artifices ipsos *uroscoporum* parum honesto titulo traducere non dubitant, digni profecto, qui, si aliquando urinae retentione laboraverint, ceu divinae artis subsidio indigni fatis suis relinquantur; Ut ejus, quam tanta olim licentia & arrogantia irriserunt

riserunt, artis praestantiam melius agnoscere ipsosq; artifices digniori loco habere discant. Oportune hic incidit, quod in vita *Flavii Vespasiani*, optimi alioquin & laudatissimi Principis memoravit *Suetonius*: Is enim reprehendenti filio, TITO, quod etiam urinae vestigal commentus esset, nummum aureum ex prima pensione ad nares admovisse dicitur, scicitans, *num odore ejus offenderetur?* Salse propterea risus a *Juvenali* his verbis:

Lucri bonus est odor ex re - - - Qualibet.

Quod si vero Imperatorem Romanorum non puduit vestigal imponere urinis imo cloacis; Quare pudeat medicos, inspicere urinas? Idque non turpis lucri causa, ut ipsis falso adfingi solet, sed ut hoc signo atque indicio in intimo rem morbi ejusq; status notitiam perveniant. Sicuti autem nihil tam innocens hoc in universo reperitur, quod suis non obnoxium sit abusibus: Ita sponte utique fatemur, *uroscopiam* pariter ac *uromantiam* (quas artes priscis temporibus summa innocentia exercebant medici) a quam plurimis hodie turpes in abusus versas esse. Ingens, fateor, abusus est, quando inconsiderata ac stolida plebs a medico absolute efflagitat, ut ex urinarum inspe-

inspectione omnium non modo indiscriminatim patientium aetatem, sexum, temperamentum, habitum corporis ad capillorum colores usque, sed & individuales ac saepe numero mere accidentales & casuales circumstantias quasi hariolando, oblata exigua mercede, edisserat. Abusus est, quando imperitum ac stultum vulgus ejusdem *uroscopiae* beneficio informari cupit, an foemina, sive coelebs sit, sive maritata, cuius urinam exhibent, gradata sit nec ne? An virginitatis claustrum adhuc integrum & intemeratum, an vero violatum sit? Imo abusus est, inter homines saltem defaecatores vix amplius tolerandus, quod mordicus sibi persuadeant, medicum solo *uroscopiae* adminiculo adjutum, non forte de quibusdam, craseos alterationem in humoribus praese ferentibus, quod ferri utcunq; posset, sed *promiscue* & *indifferenter* de omnibus ac singulis morbosis affectibus, nullo habito temporis vel ipsius morbi status, vel instituenda in illo debitae praeparationis ad futuram se- & excretionem materiae respectu, imo de omnibus ac singulis ejus circumstantiis informatum esse posse ac debere. Quae stulta praejudicia, id quod maxime dolendum est, in-

plerorumq; hominum animis tam altas egerunt
 radices, ut nullo facile artificio eradicari in-
 de possint. Verum cuncti hi abusus, quam gra-
 ves etiam videantur, *rationalis* tamen *uroscop-*
piae verum ac legitimum usum tollere mini-
 me debent. Ad quod probandum & qualem-
 cunque tam *uroscopiae* quam *uromantiae* au-
 toritatem conciliandam, non placet hac vice
 provocare ad ipsius artis antiquitatem; Quan-
 quam abunde notum sit omnibus, vetustissi-
 mos jam medicos utramq; sine opprobrio ex-
 erciisse: Sed illud solummodo ceu solidum
 artis fundamentum, quodque ex ipsis rebus
 facti desumtum est, allegare mihi liceat:
Quod, experientia teste, urinae non aetatum
 tantum atque temperamentorum intuitu, sed
 & variorum morborum, & quidem pro di-
 versitate status ac temporis, in quo versantur,
 aliarumq; circumstantiarum respectu, odore,
 colore, contentis &c. mirabilem varietatem
 admittant; Ut proinde totum fabulosum esse
 non possit, quod evidentibus talibus observa-
 tionibus & experimentis nititur. Totum ve-
 ro materiae hujus latifundium, cum unica vi-
 ce exhaustire, nec possibile nec necessarium,
 & interea mihi, ad honores DOCTORALES

adspicere

adspiranti, specimen quoddam *Inaugurale* edendum sit, de solis URINARUM SEDIMENTIS
 in praesentiarum agere apud animum meum constitui. Rationes, quae, ut hoc potius, quam
 aliud solemnis Disputationis thema eligerem, ne moverunt, nemo curiosius requirat; Nunquam indecorum mihi visum est, *ex sterquilino colligere margaritas.* Semper potius cre-
 didi, ex sagaci excrementi hujus, licet sordi-
 di scrutinio magna & numerosa pandi posse
 arcana ac tantum non mysteria, quae in ae-
 ternum ignota manebunt iis, quorum nares
 vel nimis delicatulae sunt & soli tantum am-
 porae adsvetae vel qui manus teneras urinali
 vitro collutulare minus consultum ducunt.
 Vir honestus malevolorum judicia nunquam
 netuit, nullo saltem numero habet, dummo-
 do proximo suo inserviendi sincero flagret
 studio. Faxit DEUS, ut hoc scopo, quem,
 post DEI gloriam, in omnibus meis actionibus
 perpetuo praefixum mihi habebo, potiri mihi
 iceat!

Cum urina, quod ceu notum ex *Physiologicis* praesuppono, nihil aliud sit, quam excre-
mentum fluidum, ex partibus potissimum aquoso-serosis, salinis, oleofisis atq; sulphureis,
una cum portionibus quibusdam terrestribus
constans, & a sangvine arterioso, per arterias emul-
gentes ad vecto in renibus secretum, ut ulterius hinc
per ureteres ad vesicam urinariam derivatum urethrae
beneficio tandem ejiciatur, idque jugi & continuo a-
&tu in oeconomia vitali ideo succedat, imo succedere
debeat, ut tam fluidorum in crasi quam solidorum in
textura & structura integritas conservetur; Patet hinc:
Urinam non modo de sangvinis aliorumq; humorum,
sed & ipsarum viarum, organorum ac partium, per
quas transit, statu naturali testimonium haud obscu-
rum perhibere.

§. II.

Et sicuti jugis hic nullibiq; interruptus actus hu-
jus se- & excretorii successus ad conservandam mixti-
onis animalis integritatem in statu ordinario & natu-
rali absolute necessarius est: Ita, quandoq; in statu cor-
poris extraordinario vel praeternaturali iisdem hisce
organis utitur natura, ut eorum ope apospasmata, mix-
tioni animali inimica vel infensa evacuentur, sicuti
in *criticis excretionibus* subinde fieri solet, ubi non tan-
tum ex universa humorum massa, sed & ex ipsis parti-
bus solidescentibus undiquaque ad renes excrementi-
tiae partes confluunt, ibique secretae per reliqua de-
inde organa urinaria e corpore eliminantur ac pro-
scribun-

scribuntur; Ut sic, corpore iterum depurato, ejusmodi patientem cum morbo suo in gratiam redire observemus. Utque tanto facilius actus iste depuratorius succedere possit, ipso illo critico tempore renum substantia tonice laxatur, ut praeter ordinaria urinarum contenta, crassiores quoq; & heterogeneae materiae eliminari sicque pristinae suae puritati corpus restitui queat.

§. III.

Hae autem crassiores & heterogeneae materiae pro diversa sui levitate vel gravitate variisq; ejusdem gradibus vel superficiei urinarum innatant, & nubeculam ita dictam constituunt, vel in earundem medio quasi suspensae haerent, & enaeorema sive sublimamentum formant, vel plane ad fundum vitri demerguntur atque subsident; Unde *sedimenti* nomen obtinuere; Quorum omnium phaenomeⁿw rationes physicas evolvere nunc nec vacat, nec necessarium est.

§. IV.

Quod *sedimentum urinarum*, de quo solo hac vice agere constituimus, speciatim spectat, Hippocrati ὑποστοιχία vel ὑποσημα, latinis vero *sedimentum* dictum, a *subsidente* denominationem suam traxit, denotatque excrementum, mediante urina excretum, quod propter suam crassitiem, gravitatem ac molem varia sub forma, colore atque consistentia fundum petit, reliquo fluore superstante. Sicuti, quod superficie innatant, argumentum praebet, levius illud esse, quam ut per reliquam urinae substantiam penetrare ac profundius demer-

demergi queat, & quod ex medio quasi fluctuando suspensum haeret, priori quidem gravius est, nondum tamen eam maturitatem adquisivit, ut ad fundum viti descendere sicq; infimum locum occupare queat.

§. V.

Possumus autem *urinarum sedimenta* considerare vel ratione *quantitatis*, ubi vel eorundem absentia vel defectus venit coarguendus; Vel ratione *consistentiae*; Unde alia sedimina vel tenuia vel crassa, alia vel continua vel disjuncta ac divulsa sunt: Vel intuitu *coloris*, ubi quaedam alba, alia ruffa, flava, livida, nigra, alia cinnabarini, rosei, lateritii &c. coloris esse deprehenduntur. Vel respectu *odoris*, ubi quaedam offeruntur singulari foetore molesta, alia vero a statu naturali non multum recedunt; Vel ratione *contentorum*, ubi interdum sanguinem purum ac floridum, interdum spissum & grumosum, sabulum item & lapillos, mucum, sperma, furfures, squamas, pilos seu filamenta quaedam, materiam purulentam &c. conspicere licet.

§. VI.

Omnes hasce *sedimentorum* differentias suas habere caussas & significationes, extra dubium est. Proindeque si nullum plane in urinis *sedimentum* compareat, eaque interea tota pallida, tenuis & aquosa, omnisiq; tinturae expers conspiciatur, qualis subinde in phrenitide aliisque acutis visitur: Indicatur vel ingens vitae periculum, vel metus recidivae vel morbi longitudo vel ingens cruditatis status in humo.

humoribus. **GALENUS** dicere ausus est, neminem ullum se servatum vidisse *phreneticum*, in quo urinae tales fuerint conspectae. Major tamen huic signo ineſt concludendi efficacia, si nullo quoque die critico excernantur, nihil sublevent, & alia periculosa indicia plura fuerint conjuncta. Malae quoque a Practicis pronunciantur urinae, quae paucam tantum *subsidentiam* habent.

§. VII.

Praeter quantitatem attendenda quoque in *sedimentis urinarum consistentia*, cuius affectiones sunt *tenuitas* vel *crassities* & *continuitas* vel *divulſio*. *Tenuitas* in principio morbi adparens non admodum reformienda est; Fit enim pro ratione morbi: Dummodo in augmento ejusdem crassescat. Nec tamen *crassum sedimentum*, quocunque morbi tempore adparens, bonum habetur; Quia *coctio* materiae, i. e. praeparatio ejusdem ad se- & excretionem pedetentim & temporibus morborum proportionate h.. e. neque tardius neque citius fieri debet ac solet. Nam si tardius apparere incipiat, viribus patientium interea fractis vel exhaustis, vel si, postquam apparere coepit, denuo mutetur crassumq; in tenue convertatur, periculum est, ne aeger pereat. Imo, etiamsi *sedimentum* tandem sese sistat, nec tamen imminuantur symptomata, nec decrementum patiatur morbus ipse, res aegrotantium talium aleae & periculi plena manet.

§. VIII.

Colores in sedimentis urinarum conspicui non minorem attentionem merentur. Sedimentum candidum,

quodque insuper leve & per omne tempus aequale fuerit, dum morbus judicatur, *Hippocrates* Libr. II. Prognostic. Text. 26. optimum declaravit; Eo quod securitatem, morbumq; brevem fore significet. *Color sedimenti roseus*, de principio sulphureo admodum resoluto, cui tamen portio mucilaginoso-lymphatica sit permixta, testatur. Unde in omni vehementi sanguinis humorumq; orgasmo, in febribus inflammatoriis, pleuritide & peripneumonia, in affectibus itidem & febribus catarrhalibus, nec non hecticis & phthisicis ejusmodi sedimenta conspicuntur. Prout vero sensim orgasticus ille humorum motus remittit, exaltatus quoque sedimentorum color imminuit ac pedentem in lateritium tandemq; in russeum seu loturam carnium referentem convertitur. Sedimentum *lividum* vel *nigrum* pessimum praebet indicium, potissimum in acutis.

§. IX.

Quotienscunque urinae offeruntur, in quibus *sedimentum purulentum* conspicitur, quodq; commotione aliquali urinae facta, purulento colore totam imbuit ac potissimum foetore molesto adficit nares, ulcerationis renum vel vesicae, vel sordidi ulceris in alio quodam viscere v. g. pulmonibus, hepate &c. latentis indicium suppeditat. Haud raro enim observatum est, materiam apostematicam vel ulcerosam ex viscere a renibus diffito atque remoto per eos tamen cum salute aegri evacuatam esse: Ubi tamen nemo curiosus inquirat vias, per quas ad haec urinae colatoria pervenerit: Quas quippe Natura à nemine licet edocta,

edocta, longe facilius, quam ingeniosissimus simul atq;
exercitatislimus Practicus invenire potest & solet.
Quod si autem foetentes tales urinae in acutis observen-
tur, resolutionis intimae seu putrefactoriae jam factae
& consequenter mortis instantis signa sunt.

§. X.

Contenta in sedimentis urinarum conspicua varia,
quoque sunt. Reperitur quandoq; in fundo vitri urina-
lis sanguis sincerus, fluidus ac floridus, qualem sub-
inde plethorici, motibus orgasticis humorum interdum
expositi cum forti ejaculationis motu excernunt; Et
talibus apertam in renibus fuisse arteriolam, extra du-
bium est. Quod si autem crassus ac grumosus fuerit,
mixtum cruentum, vel haemorrhoides turbatas aut
plane subsistentes vel alias circa V. P. enatas turbas pro-
dit. Si sedimentum non sanguineum, sed dilutioris tan-
tum coloris, cum reliquo sero urinoso permixtum &
interagitatum fuerit, acerbiores tantum congestiones,
versus renes factas, non aeque vero actualem organo-
rum, se- & excretioni urinae dicatorum, laesio[n]em
designat. Subinde vero insignem laesio[n]em renum
vel vesicae urinariae a calculo inductam indicat vel
ingentem veneris abusum consequitur.

§. XI.

De fabulo & arenulis rubicundis una cum urinis
excretis citoque fundum potentibus jam dudum ob-
servarunt Practici, quod calculi renalis indicia sint.

Subsidentia mucida cum spermatica non est confundenda; Id quod alioquin propter qualemq; coloris similitudinem fieri facile posset. Utraque tamen a se mutuo haud difficulter distingvitur, quod mucus, licet urinale vitrum hinc inde agitetur, mox post motionem fundum petere soleat; Sperma vero, cum diutius urinae permixtum maneat, tardius ad fundum praecipitetur.

§. XIII.

Si *farinaceum* fuerit *sedimen*, praeter cruditatem in humoribus, defectum quoque debitarum digesti-
num in visceribus indicat. *Furfuraceum* pathemata
hysterica prodit, in primis si urina turbida & crassa fue-
rit mixta. *Squamosum* denique sedimentum nonnun-
quam vesicae exulcerationem manifestat. In acutis
vero sedimenta talia sunt perniciosa, nisi, ut modo di-
&tum, vitio renum vel vesicae fiant: Id quod cognosci
haud obscure potest, si nullum aliud, quod renum
vel vesicae laesione indicet, signum fuerit conjun-
ctum.

§. XIV.

De pilis, vel quicquid sub hac forma in urinis
subinde comparet, *Hippocrates* quidem Sect. IV. Aph. 76.
pronunciavit, *de renibus excerni*; Verum ejusmodi con-
tentia non raro quoque in febribus petechialibus aliisq;
morbis malignis fuere conspecta, & raro aliud, quam
funestum praenunciarunt eventum.

§. XV.

Ex hisce autem *urinarum sediminibus* hoc modo
examina-

examinatis nunc clarissime patescit, eorundem inspectionem non solummodo in *physiologia* ac *pathologia*, sed & in *semeiotica* atque *prognostica* artis medicae parte eximiam suam utilitatem exhibere, imo in ipsam usq; *therapiam* sepe extendere. Consultum tamen ducimus, hic monere, huic indicio, ex urinarum *sedimentis* desumpto, nunquam soli fidendum, sed alias quoq; circumstantias, concernentes aegrotantis *aetatem*, *temperamentum*, *sexum*, *habitum corporis*, & in primis, quid sentiat &c. explorandas esse. Quod si taciturnum vel morosum, vel sub larva tali plane callidum vel malitiosum deprehendas eum, qui urinam tibi attulit, quique vel peritiam tuam in *uromantia* tali simulatione expiscari, vel optimam artem in quandam quasi *haruspicinam* malitiose convertere praesumat, illum ceu beneficio tuo indignum praestat in pace dimittere, vel saltem judicium suspendere, ne te ipsum, &, quam profiteris artem, coram ignobili plebe prostituas, vel plane malevolorum hominum, quorum ubique major, quam proborum & ingenuorum numerus est, actionesq; tuas observat, malignis judiciis, exigui lucelli inde obtinendi spe, temere exponas. Quod si autem insolentius se gerat, & mercedem, quam solvit, immodeste repeatat, si forte acu rem non tetigeris, vel sycophantae ex voto non satisfeceris, tali casu non disfaderem, ut intempestivum talem solicitatorem baculo laute, exciperes & secundum omnem trinam dimensionem probe dimensum per eam, qua intraverat, portam domum remitteres, ut aliquam saltem proterviae suae poenam lueret.

Ne vero frustra dixisse videamur, *sedimentorum urinariorum* inspectionem suam in cognoscendo statu corporis naturali utilitatem praestare, provocamus prium ad varia hominum temperamenta, quorum singula singularia quoque *sedimenta* cum variis ac inter se differentibus coloribus offerunt. Ita *sanguinei* emitunt ut plurimum urinam citrinam cum pauco, sed albicante ac mobili *sedimento*. Urina *Cholerorum* ad aurantium magis colorem inclinat, cum nullo vel pauco *sedimento*, nubecula tamen subinde in ea apparente. *Pblematicorum* urina ut plurimum vel pallida vel ex pallido citrina est, & quantitatem non contemnendam sedimenti sub-mucidi dimittit. Ac tandem *melancholici* saturationis citrini coloris urinam mingunt, nullo vel pauco *sedimento*. Nunquam tamen, quod paullo superius jam monuimus, ex hoc solo criterio temperamentum aestimandum, sed reliqua, ex quibus alias illorum indolem detegere solemus, perite conjungenda. Cavendum quoque, ne mutationes urinarum temporarias, quae ab esculentis & potulentis, medicamentis itidem aliisque rebus, corpori ingestis dependent, cum perpetuis & immanentibus confundamus.

§. XVII.

Deinde, cum urina nihil sit aliud, quam excrementum ex totius massae sanguineae depuratione enatum: Consequens est, ejusdem inspectionem, ad indolem sanguinis naturalem suo quoque modo cognoscendam, deducere nos posse: Quae notitia eo magis necessaria

cessaria est, quo difficilius alias statum sanguinis humorumq; praeternaturalem atque morbosum cognoscere nobis licebit: Ubi tamen iterum pro diversitate aetatum atq; temperamentorum, ratione coloris, consistentiae, quantitatis, odoris, contentorum aliarumq; circumstantiarum mirabilis est varietas, de quibus omnibus, prolixitatis nimiae vitandae gratia, agere hic supersedemus.

§. XVIII.

Presso potius pede progredimur ad enumeranda commoda, quae ex *uroscopia* in *Pathologiam* redundant. Praeterquam vero, quod de vario successu se- & excretionum urinariarum evidens perhibeat testimonium, multum quoque luminis accedit doctrinae de vario successu febrium tam salutari quam lethali. Ut taceam, in aliis quoque affectibus morbosis non sine insigni utilitate inspici & consuli urinas.

§. XIX.

Raro quidem in *intermittentibus* a medicis consuntur urinae: Optandum tamen, ut earundem decursus diligentius, quam fieri ut plurimum conservaretur. Cum enim sedes tertianarum & quartanarum non semper sit in primis viis, ventriculo & intestinis, sed subinde latius per viscera hypochondriaca mo plane per universam humorum massam sese diffuderit, quorum quippe depurationem motuum tam onicorum quam sanguinis progressivorum augmen- o intendit natura: Inspiciendae utique sunt urinae, ut ex illarum coctione vel cruditate de humorum genuino

genuino quoque statu edoceamur. Nam quamdiu urinae adhuc tenues & crudae vel crassae quidem sunt, & nullum interea *sedimentum* dimittunt, certo illae indicio sunt, febrim rebellis ac refractariae indolis esse, neque spes est, prius ab illa recessuram, quam rudimenta quaedam coctionis in illis adpareant; Id quod inde aestimare licebit, si vel nubecula vel plane sedimentum comparere incipiat. Sydenhamius, frequenti experientia instituta, observavit, in intermittentibus declinationi proximis ut plurimum mitti urinas saturati ruboris, quae deinde sedimentum lateritii coloris praecipitent. Quod si vero tam *nubecula*, quam *sedimentum* disparere, ac pristina potius limpida, tenuitas atque cruditas adparere denuo incipiat, justissimus utique *recidivae* metus est.

§. XX.

Acutae vero potissimum sunt, in quibus primariam suam utilitatem exhibit *uroscopia*; Quarum quippe paucissimae salutariter, nisi per certam quandam criseως speciem, solvuntur. Proinde diligens observator in febrium talium decursu deprehendet, quod primis quatuor diebus raro mutationem subeant urinae, sed rutilantem & igneum quasi colorem ostentent & constanter retineant: Unde etiam toto hoc tempore aestus aridus, inquietudo, sitis aliaque febrium symptomata vehementi gradu aegrotantem excruciant; Et si quam maxime dicto die, qui caeteroquin primus criticus est, rudimenta quaedam coctionis in urinis adparerent, circa septimum vero vel justa proportione non continuarent vel plane disparerent, indicio

indicio foret, talem febrim suo in successu jam esse, turbatam, atque adeo salutarem crisin tali in casu vix esse expectandam. Omnis enim praematura *sedimentorum* apparitio merito suspectae fidei a peritis Practicis haberi solet ac debet: Econtra bene sperare jubetur medicus, si die quarto *sedimentum* bonae indolis, idque sufficienti in quantitate praecipitetur, justa deinde serie continuetur atque cum symptomatum febrium levamine sit conjunctum.

§. XXI.

Nec cessat *uroscopia* de reliquarum etiam febrium sive cognoscendarum sive dijudicandarum indole medicos informare; Id quod paucis tantum speciminiibus declarare placet. In febribus catarrhalibus, licet benignis, vidimus ut plurimum praecipitatum *sedimentum ex roseo-pallidum*. In *cholericis & causo* ipso color urinae fuit subruffus, pauca insuper, crassa, & post moram turbida cum sedimento roseo. In *pleuritide & peripneumonia* urina subrubra, quae *hypostasin* habet levem, securam denunciat crisin. Quando circa diem quartum turbida fit ac *sedimentum* deponit, significat, die 7. vel 11. sudore critico solutum iri morbum. In febre *synocha* urina est rubicunda, pellucida & ante quartum diem mutationem vix subit: Sub ipsa autem illa mutatione exhibit *sedimentum* incarnati coloris. In febre lenta urina, postquam emissa est, rutila adparet crassa que, ac tandem *sedimentum*, deponit roseum, liquore tamen claro superstante. In *hectica* est crassa, aurantii coloris, *sedimentumq;* deponit roseum cum cuticula pingvi & odore graveo-

lente. *Pbthysicorum* urinae ut plurimum sedimentum pingue & quasi conglobatum pinguedinis instar, valdeque foetens praecipitant. Atque ita in reliquis omnibus febrium speciebus, quas brevitatis caussa silentio praetermitto, *sedimenta urinarum* solerter observanda & attendenda, ut firmioribus tandem fundamentis *uroscopiam* superstruendi occasionem Practici nanciscantur.

§. XXII.

Praeter febres, permulti quoque alii in praxi medica occurunt morbi, in quibus, urinas inspicere, consultum est, uti sunt *icterus tam flavus*, quam *niger*, *hydrops*, *mictus cruentus*, *vitia renum* atque *vesicae urinariae*, *adfectus spasmodici* & *hypochondriaco-hysterici* &c. quorum omnium aliqua tantum exhibebimus specimen. In *ictero tam flavo* quam *nigro*, praeterquam quod linteamina urinis illorum immissa croceo colore tingantur, sunt quoque crassae, multum saturatae, obscure flavescentes ac nigricantes, tandemq; sedimentum croceum nigricans praecipitant. Sedimentum limosum idque valde copiosum cum crassitie & colore saturatiore, lixivium saponiorum quasi aemulante, statum hydropicum eumque pessimum designat. Urna, quae ochreum sedimentum deponit, tenuis caeteroquin & pallida vel subinde flammæ aut pallide rutilans, vitia mensium impeditius succedentium prodit. An moleculæ minutissimæ, per urinam caeteroquin claram obvolitantes, graviditatis certa subministrant criteria, experientiae & observationibus iterato instituendis committendum est. Haemorrhoides in-

ternæ

ternae suppressae vel turbatae ingentem saepe copiam sedimenti cinnabarini suppeditant. Vid. Disp. DD. Praesidis de haemorrhoidibus turbatis ordini suo restituendis &c. Reliquos, ex urinarum inspectione cognoscendos atque dijudicandos morbos silentio lubens praetereo.

§. XXIII.

Transitum potius facio ad *usus therapeuticos*, quorum non pauci ex diligentis urinarum scrutinio earundemque sedula inspectione in praxin ipsam redundant. Ponamus, sub cura artificis medici versari febricitantem, in cuius urinis nullum adhuc *sedimentum*, quod quippe *coctionis* signum est, observetur: Prudentia statim ipsi fvidebit, qua methodo tam *privative* quam *positive* sub tali febris statu procedere debeat? Caute scil. abstinebit ab omnibus, sanguinem intempestive exagitantibus & orgasmum augentibus remediis, qualia sunt vulgares tinturae & spiritus Bezoardici aliaque aestuosa, quae humores vehementius impellendo successum criseos alioquin expectandae turbant & intercipiunt. Eadem circumspectione utetur circa usum evacuantium fortiorum, *emetorum* in primis & *catarcticorum*; Imo etiam circa sudorificas vel diaphoretico-diapnoicas aliasque subtiliores excretiones artificialiter procurandas caute se geret, magisque de eo sollicitus erit, ut nimium sanguinis orgasmum contemperet, materiamq; febrilem paulo activiore invertat, corrigat atque sic disponat, ut ad futuram secessiōnem & excretionem habilis reddita spontaneo magis, quam coacto artificiali motu ad exitum deducatur.

Quod si vero ex urinarum sedimentis coeptam humorum coctionem aestimaverit medicus, opera porro ipsi danda est, ut illa continuetur tandemq; perficiatur; Ubi in primis ad modum excretionis, quem Naturae elegit, curiose simulque attente respicere debet, an scil. per diaphoresin, an per diuresin an alia quavis convenienti methodo febrilis materiae evacuationem tenet? Ad quem eundem scopum artifex ipse constanter collineare nec quicquam moliri debet, quod Naturam suo in opere occupatam ullo modo turbare, vel à proposito & opere semel suscepto avocare, vel ad alienam evacuationem suscipiendam disponere & invitare ullo modo possit.

§. XXV.

Quamdiu in intermittentibus tam tertianis quam quartanis urinae tenues & crudae, nullumq; dimittentes sedimentum conspicuntur, tamdiu irritum atq; frustraneum esse coeptum judicamus, antifebrilia ordinare, talia in primis, quae motus febriles suppressendo ac prohibendo materiae febrilis incarcerationi & pertinaci in visceribus internis infarctui generando viam pandunt, quorsum prae reliquis omnibus, decantatum *corticem Peruvianum* seu *chinam de china* referto, cuius perniciosos effectus proxima occasione *a priori* atque ac *posteriori* DD. Praeses demonstrabit: Econtra vero hoc febris statu nullis aliis, nisi salinis, abftergentibus, digestivis humoresque ad futuram excretionem tanto facilius subeundam disponentibus locus erit relinquendus.

Imo

Imo nec crassiores illae ac sensibiliores evacuationes, five *emeticae* five *catarticae* fuerint, quas tamen *intermittentes* prae *acutis* facilius & melius ferunt, eo tempore locum obtinebunt: Quia nulla excretio felici potitur successu, nisi quae sufficienti materiae praeparationi est subordinata; Solo hoc casu excepto: Nisi forte ex praegresso manifesto diaetae vicio ortum suum traxerit: Quo quippe unicum *emeticum* vel *catarticum* tempestive exhibitum non modo artificis intentioni exasse satisfaciet, sed & plus, quam longa alterantium ac praeparantium series praestabit.

§. XXVI

Quandocunq; ex *sedimento roseo* vel *cinnabarino* ingentem humorum orgasmum, aestum & motum intestinum vehementer auctum aestimamus, tunc praeter nitrosa, absorbentia ac terrea teneriora, acidiuscula fore proficua, haud inepte inde concludemus. Et quando *sedimentum* adfectus *congestorio-rhematicos* versus certam quandam corporis partem directos, unde periculosi *decubitus*, *stagnations* vel *stases*, imo adfectus inflammatorii metuuntur, indicat, prudentia svadefit, congestiones tales per moderata alexipharmacum vel blanda diaphoretica cum nitrosis permixta tempestive esse resolvendas, imo, urgente statu ae-grotantis plethorico, VSionem non reformidandam, ab omni vero opiatorum & narcoticorum usu provide abstinentendum esse.

§. XXVII.

Sedimentum sanguineum, quod, *mictum cruentum* innuere, superius diximus, vix aliam nobis indicatio-

nem therapevticam subministrabit, quam ad primos fontes & origines horum malorum prudenter hic esse respiciendum, nempe vel turbas circa V.P. enatas complacandas, & congestorios motus contemperandos, ab omni vero immodesta simultanea suppressione per adstringentia, vulneraria, opiata & narcotica esse abstinentum. Et si quam maxime, viis & organis urinariis quandam inductam esse laesionem suspicaretur artifex, facile tamen intelliget, nullis aliis, quam salinis, abstergentibus impuritatesque aufferentibus remediiis hic opus fore. Diureticis, humores potius impellantibus proindeq; malum certissime auggentibus nullum quoq; locum relinquet, & ab oleosis atque mollientibus ideo caute abstinebit, quod ad diathesin apostematicam vel plane ulcerosam haec talia viam esse paratura, certissime est perswasus.

§. XXVIII.

Sedimentum *spissum* ac *mucidum*, quod praeter temperamentum phlegmaticum & diathesin sanguinis mucido-spissam, etiam affectus catarrhales benignos nec non primarum viarum vitia & cruditates vel insignem digestionis & concoctionis naturalis laesio-nem indicat, nulla alia, quam amaricantia & moderate tonica, mucum itidem spissum incidentia ac re-solventia, deinde vero abstergentia & per congrua excretoria ad exitum disponentia expostulat: Quibus quippe ita praestitis, affectibus, qui forte ex diathesi tali seroso-mucida orituri essent, nervus efficaciter erit praescissus.

§. XXIX.

§. XXIX.

Urinae, *sedimentum spermaticum* continentes, excernuntur quandoque ab hominibus in coelibatu viventibus, in quibus temperamentum sangvineum obtinet praedominium, subjecta insuper sunt plethorica, voluptuosa, in plena lautaq; diaeta viventia, quaeque proinde abundantia seminis laborant & honesta illud excernendi occasione destituuntur. Talibus, praeter frugalem vitae rationem conjugium est svadendum; Quia alias ad meretricios & impuros amores aliosque illicitos sperma evacuandi modos animum applicare solent. Quod si vero urina colorem remissius citrini offerat, cum nubecula, eaque tenuioris lanuginis instar ad fundum vasis dimitatur, gonorrhoeam benignam vel pollutionem nocturnam vel cohabitationem maritalem praecedente nocte factam indicat: Ex quibus proinde signis prudens Practicus facile coliget, quid faciendum ipsi incumbat?

§. XXX.

Si contingat, medico offerri urinas, in quibus carunculae pingues & quasi purulentae observantur, cuticula in primis pingvi & quasi oleosa superficie earundem innatante, eaeq; insuper male oleant, tales de contabescientia, ex ulceratione visceris cuiusdam internata, haud dubium perhibent testimonium: Unde ad ulceris talis debitam abstersionem & mundificationem omnis cura dirigenda est.

§. XXXI.

Quotiens infantum urinae turbidae & crudae,
quaeq;

quaeque sedimentum album & quasi furfureum prae-
cipitant, inspiciendae offeruntur, totiens, lumbricis il-
los laborare, suspicio est; Atque adeo remedia indi-
cantur *anthelmintica*, quaeque vermium nidum destru-
unt, Θina abstergentia. Urinae vero puerorum, quae
album & quasi *chylosum* sedimentum ad fundum vasis
demittunt, *statum atrophicum* designant simulque, ex
quo fonte remedia, ulteriorem ejus progressum inhi-
bentia, petenda sint, medicum informant.

§. XXXII.

Ulterius hac vice non progredior, certissime per-
sensus, ex paucis hisce speciminibus sufficienter colligi
posse, quid de perita & non nisi diurna observatione
& frequenti experimentorum repetitione adquirenda
sedimentorum variis in morbis conspicuorum inspec-
tione ac dijudicatione, citra contemtibilem circulatoriae
vanitatis adfectionem polliceri nobis debeamus.
Quisquis vero, *uroscopiam* ad omnes ac singulos mor-
bos, singulasq; eorundem *circumstantias*, etiam *tem-
porarias* ac mere *fortuitas* & *casuales*, non *praesentes* tan-
tum, sed & *praeteritas* atque, quod à miraculo non
multum alienum foret, *futuras* extendi posse, sibi
persuaserit, eum sana mente sano in corpore
gaudere, nemo facile dixerit.

F I N I S.